DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XVI. NOVEMBRIS

M. FRANCISCO DE LA CHAMBRE, Doctore Medico, Præside.

An totus Homo ex Facie?

SCIENTIAM appetere pulchrum ac naturale est; seipsum cognoscere vtile & necessarium: sed interiora aliorum sensa posse scrutari eximium ac propè diuinum. Is est in creatione hominis primus ac præcipuus naturæ scopus, huic collimant cætera eius machinamenta: Hinc to taffabrè elaboratæ partes, tantâ commensuratione tornata organa, miræ externorum cum internis similitudines, sympathiæ, cognationes. Huius lineamenta prima vel in ipsis brutis posuit, extremo penicillo perfecit in homine: quem ad societatem natum præcipuo eius retinendæ ac conseruandæ organo instruxit natura; vnionem, quâ stat illa societas, firmauit sermone, quem homini largita est: qui interiorum cogitationum nuncius fidelis & interpres, mirandum illud cum cæteris hominibus commercium retineret. Præter hunc, in eius fronte & oculis secretiorum sensuum signa & characteres impressit; vt, si cordis intima sermo simulatione falleret, sermonis fraudem vultus ipse detegeret: In eo abstrusiora intellectus munia, stupore quodam sensuum omnium, manifestantur: in eo reconditiores animi motus vix nati, tempestates excitant, quas iurè diceres in littore, quam in alto mari vehementiores. Nec mirum: Animæ sequuntur corpora, signum Ebrietas & morbi; Corpus compatitur animæ motibus, testes animi Pathemata. Vtrumque docet ars Physiognomonica; hinc duplex eius species, Medica, & Moralis: Ambæ ab exteriori formâ, quæ animæ & corporis, ideòque totius hominis cognoscendi modum aperit ex signis: hæc ex eâ potissimùm parte depromuntur, quæ maiori & delicatiori artificio effecta, sensuum omnium organa continet, certioraque sanitatis & morbi indicia exhibet; in quâ, propter peculiarem texturam citiùs & fideliùs humorum & interiorum agitationum vel leuissimarum, notæ sese produnt: dicam compendio: in quâ φρονήσεως πλείστης ἐπιφάνεια γίνεται.

DIVINVM hominis opificium complent Anima & corpus: Animæ essentia abstrusissima, sensibus immanifesta, à posteriori tantùm cognoscitur: immortalis est, spiritualis, potentiâ omnia, & ideò indeterminata, indifferens; hinc temperamentum hominis in omnium medio. Anima per operationes innotescit; actionum principia sunt facultates; quæ si spirituales, sine organi interuentu operantur; si corporeæ, vt materiei immersæ, ad agendum egent instrumento corporeo: harum posteriorum functionum causa frequentior sunt inclinationes, quibus tanquàm dispositionibus, propter certam organi conformationem, anima ex se indifferens, ad quasdam actiones determinatur, & inclinat. Organorum conformatio à virtute formatrice, & à Temperamento; vtrumque ex signis sensibilibus patefit. Temperamentum, maximum in inclinationes & operationes imperium obtinet; harum sola & vnica causa quibusdam; sic animi mores sequuntur corporis Temperiem; illam constituunt quaternarius humorum numerus, humorum speculum facies est. Non minoris est efficaciæ Conformatio; morum index; vndè prouerbium, Caue à signatis: Venatores & Equites, ex conformatione, de Canum & Equorum excellentiâ ac docilitate iudicant, Conformationis summarium vultus. Vt temperies omnium optima in medio, ita & Conformatio: vtraque eò perfectior, quò actio nobilior: strenuum artificem decent instrumenta, politiori curâ fabrefacta.

FACIES parte glabrâ Capitis definitur; Fronte, Mento, & Aure duplici circumscripta; in quorum medio sunt Nasus, Os, Supercilia, & Oculi: mole quidem minutissimæ partes, sed vi & operâ indicandorum affectuum maximæ. Frons à ferendis animi signis dicta, Pudoris est sacrarium; index Tristitiæ, Hilaritatis, Clementiæ, Seueritatis; in ipsâ fronte velut speculo, mentis imago patet; sola in alto licet silentio secretiores animi recessus patefacit: sic Parua Indociles denotat; Magna Timidos; Rotunda Iracundos; Quadrata fortes; Nebulosa Audaces; Exporrecta Adulatores; Dura tensa & arida in morbis, mortis periculum. Aures, mentis ianuæ sunt; Disciplinæ sensus; Carminis filiæ; Architecturæ portentum; Magnæ Tardos; Paruæ Astutos; Rubræ Verecundos; Contractæ & frigidæ in acutis, mortem; Dolentes acriter in vehementi febre periculum, Tinnientes, delirium aut Crisim. Mentum totius faciei basis; barbæ seu Maiestatis virilis fulcrum, Rotundum & Glabrum in hominibus, Molles; hirsutum in fœminis, Inuerecundas. Nasus soli homini altior ad decorem; efficax est instaurandi Spiritus instrumentum; Cerebri spiraculum; modulandæ voci summè necessarium organum: Acutus & naribus patulis, in Iram præcipites; Rotundus Magnanimos; Gracilis leues; Coruinus Impudentes; sub fronte Cauus Petulantes. Labra, mollia Osculorum puluinaria; Crassa Hebetes; Tenuia Dolosos innuunt.

OS, in quo Risus, Veneres, & Ioci tanquam in sede habitant, animi est vestibulum; loquelæ formator; cogitationum nuncius; Diuinum antrum, in quo mentis oracula panduntur; partium cæterarum propugnaculum; hinc eburneo dentium muro vallatum; firmo palati fornice fulcitum: Amplum cum dentibus acutis Voraces; Paruum Molles: Os & lingua in morbis præcipua salutis aut mortis præsagia suppeditant. Supercilia, Superbiæ, quæ in Corde nata, hîc sedet, Tribunal; mirum visionis adiumentum & præsidium: Coniuncta Querulos; extensa versus tempora Stupidos. Oculi, pars humanæ melior vitæ; Diuinum membrum, cuius gratiâ omnium nobilissimum Caput factu est; Splendida microcosmi lumina; Amoris Illices; Tyranni Insidiosi ferientes sine vibice & vulnerantes sine cruore; quos dùm osculamur, animum ipsum attingere videmur: vera animæ κάτοπτρον: Quidnî & animi Pulsus? ex eorum quippe motu mentis affectiones, vt ex pulsu cordis alterationes percipimus; sic Magni & Eminentes stolidos; Parui & Concaui infidos; Albicantes aut intensè Nigri Timidos; Ignei & Rubri Iracundos; Splendentes & Tremuli Intemperantes; Charopi Fortes. Vis plura? & in morbo & in sanitate punctum omne ferunt; si sani sanum, si morbidi morbidum corpus indicant dicente Christo: vt valent oculi sic totus homo docente Hippocrate.

FACIES pars Corporis pulcherrima, ad imaginem Dei facta, & in quam vitæ spiraculum, lumenque vultus sui signauit Diuinus Plastes, à maiori & accuratiori structurâ denominatur; sine facie quæ confusio? quid homo ipse? nec Patrem filius agnosceret, nec vxorem Coniux: nullum facierum diuersitate in terris maius miraculum: per eam Genus, species & indiuidua discrepant & cognoscuntur; Ætatis, sexus, nota certissima; characterum paternorum seruatrix fida. Quid pulchrius facie? Pulchritudinis ipsius Symbolum & Theatrum: pro omnibus verbis vultus est: vt Corporis ita & Animi mensura, quâuis Momi fenestrâ certior: sermo mentis tacitus: itâ distortum vultum sequitur distortio morum: sic Longa Superbos; Magna Pigros; Parua & Nigra Malos; Macra Suspiciosos; Pallida Timidos; Flaua Iracundos; Rosea Hilares manifestat. In vultu, vt in horologij externâ facie rotarum motus, internarum corporis agitationum notæ apparent; eò faciliùs quod textura eius rarior, non obsita pinguedine, sed innumeris arteriolis irrigua. Cor nequit citatiori aut tardiori motu cieri, quin subitò decorâ genarum purpurâ, aut fœdo pallore facies pingatur: Nulla potest pars vel leuissimè affligi, quin statim huiusce læsionis signa se prodant in facie. Quæris eius cum cæteris partibus consensum? non colorem modò neruos aut venas considera, sed & Næuos; non temerario quodam casu per faciem sparsos, sed stupendo naturæ prodigio in eâ signatos, quibus similes in alijs partibus impressi responderent. Vis verbo? in solâ facie φρονήσεως ἐπιφάνεια Sapientiæ domicilium, Modestiæ sedes, Sensuum officina: huius partis conformationem curat præcipuè natura; sic vna facies Animi & Corporis, Imago, Exemplar, Compendium.

Ergo totus Homo ex Facie.



DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Paulus Courtois.
M. Petrus Moriau.
M. Guillelmus Petit Schol. Prof.
M. Rolandus Merlet Decanus.
M. Stephanus le Gaigneur.
M. Petrus Bourdelot.
M. Petrus Beaurains.
M. Robertus Tulouë.
M. Bartholomæus Baralis Med. Reg.

Proponebat Lutetiæ PETRVS CRESSE' Parisinus, A. R. S. H. M. DC. LVI.